

ditionis popularis laude h. e. elegantis vitæ & optimarum rerum scientiæ & usus, nisi qui his humanitatis litteris ad eam fuerit formatus & excultus. Egregia scilicet elegantia, quæ nihil differat a cujusvis de circulo operarii virtute & laude, quam petere statim poteras ex quavis taberna! Et hujus comparandæ causâ novas nunc condunt scholas & tantis sumtibus alunt? Has celebrant & populari doctrina liberalissimisque artibus & studiis affluere dicunt? Quam rectius fuerat, & seculi nostri genio, doctrinæ sumtibus parcendis maxime intento, accommodatius, uti eodem bono, in scholis haud magnis impensis parabili, ibique habere humanitatis litteras doctrinæ popularis administras elegantissimas & comites, e quarum contubernio reportari poterant præclara rei rusticæ, militaris, negotialis artificialisque ornamenta.

Quid igitur impedit, quo minus constare possit in scholis doctrinæ litterariæ & popularis vinculum & conservari societas? Quid tandem? nil nisi vanum istud ineptæ latinitatis & graecitatis terriculum. Nam ipsæ quidem litteræ latinae & graecæ vel maxime sunt populares, nec quenquam male habere possunt, propterea quod iis continetur & traditur quicquid in vita elegans habetur, præclarum & utile.

Sed de hoc quidem plura dicentur a nobis in oratione, *memorie Geblerianæ* in Gymnasio recondendæ, sacra, cujus argumentum in ipso hujus scholasticæ quæstionis ingressu supra indicavimus. *Magnificum igitur reip. Senatam, summe reverendos Sacerdotes, Amplissimos Gymnasii Magistros & Collegas & omnes rei scholasticæ Fautores*, submisse, reverenter officioseque rogo, ut, si & possint & velint, sua præsentia & me dicentem honorent & tres chori Symphoniaci Alumnos:

Carol. Traugott Hoffmannum, }  
 Christian. Traugott Ullmannum, } Gorl.  
 Jo. Frid. Samuel. Schmidium, }

istum quidem primum: *de molli teneroque in studiis litterarum sensu*, alterum illum: *de scriptorum ingeniosorum venustate bonis moribus periculosa*, tertium hunc: *de studio matheseos virtutis quodam adminiculo*, patrio sermone deinceps declamatorios benevole indulgenterque audiant. Quodsi iis licuerit & commodum sit, convenient crastina luce die xvii. Dec. hora nona in acroaterio primi ordinis. P. P. d. xvi. Dec. 1773.

❖❖ ❖❖ ❖❖]

*Amplissimos Gymnasii Magistros & Collegas & omnes rei scholasticæ Fautores*